



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Sancti Bonaventuræ Episcopi Cardinalis Albanensis,
Seraph. Doctoris Ecclesiæ, Speculum Disciplinæ, Et
Profectus Religiosorum: Libelli ad pietatem vtilissimi**

**Bernardus <de Bessa>
Bonaventura <Heiliger>**

Antverpiæ, 1591

Quomodo naturales vires animæ & motus affectionum deformati sunt.
Cap. VIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53148](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53148)

162 S. BONAVENTURAE
tione voluntatis: quia virtus & vitium & me-
ritum dependēt ab ea, & affectiones, quæ tam
ad vitia quàm ad virtutes inclinant: postea de
memoria, ratione, & intellectu. Volūtas est in
anima quasi imperans, ratio verò quasi docēs,
memoria quasi ministrans utrique, illi quid
iubeat, isti vnde doceat.

*Quomodo naturales vires animæ & mo-
tus affectionum deformati sunt.*

CAP. VIII.

NUNC ergo breviter intelligere oportet,
quomodo naturales vires animæ, & mo-
tus affectionum in vitia deformati sunt, & ad
quid dati sunt homini: postea aliqua remedia
singulorum vitiorum subiungenda sunt, &
virtutum ordo. Voluntas nulli debuit esse sub-
iecta nisi Deo: nec tamē hoc coactē, sed spon-
te; ut possit ei ad meritum reputari, & ita pote-
rat peccare & non peccare: non ad hoc ut pec-
caret cum posset, sed ad hoc, ut si non peccaret
cum posset, ex hoc laudabilis fieret, & digna
præmio apud Deum: vel si sponte peccaret, es-
set digna confusione & suppliciis: cum sciret
quod nō deberet peccare, & posset vitare. Item
cum facta esset anima quod capax esset sum-
mæ beatitudinis, in qua haberet summam glo-
riam & summam delectationem in Deo, qui
est summa & vera beatitudo, datus fuit animæ
duplex appetitus naturaliter ad hoc, ut ista de-
sideraret & studeret obtinere: & cum obtinisset,
tanto iucundius possideret, quanto ar-
dentiùs concupisceret. Datus fuit ei appe-
titus gloriæ talis, ut nulla sufficeret ei præ-
ter summam gloriam: & appetitus delecta-
tionis talis, ut nō satiaret eam aliqua nisi sum-
ma

Appetitus
concupi-
scibilis cur
homini
datus.

ma delectatio: & utraque est in solo Deo: & ita nihil sufficit animæ præter Deum, & iste appetitus vocatur concupiscibilitas. Item ex hæc orta est alia vis in anima: quia cum tantum concupisceret bonum summum docete vi rationali, per quod beatificanda erat, naturaliter horrebat & detestabatur & repellebat omne quod ad hanc obtinendam contrariabatur ei: & quidquid ad eam obtinendam prodesset & conservandam, fortiter apprehendebat & tenebat. Et hæc vis vocatur irascibilitas, iuxta iræ similitudinem, quæ fortiter indignatur contrariis, & fortiter tenet quod cupit. Per vim rationalem cognoscit bonum, & melius, & optimum. Per concupiscibilem, appetit bonum, & melius bonum amplius, & optimum bonum maxime. Per vim irascibilem, tenet & inhæret bono: & quæ ad hoc prodesse poterant, feruidè apprehendit: & quæ ei obesse poterant, indignanter repellit & fugit. Sed cum homo diabolo suadenti sponte ad peccatum consensit contra Dei prohibitionem, tunc omnes vires animæ & potentiæ quæ datæ ei fuerant ad summum bonum agnoscendum, appetendum, & fruendum, deordinatæ sunt, & quasi subversæ, non autem subtractæ, sed sædatæ & peruerso modo se habentes, sicut organum musicum, quod quâdo integrum & bene ordinatum est, dulcem reddit melodiam, quando verò confectum fuerit & deordinatum, horrendum stridorem pro cantu emittit. Quia enim homo amore visibiliam ab invisibilium amore cecidit, sola iam visibilia ex peccati pœna cognoscit, sola ea diligit, solis eis inhæret, & invisibilia quasi non sint postponit, imò & nescit: ita quod pauci induci possunt ad credendum si sit aliquid extra ea quæ videmus & corpore sentimus. Et ita ratio cæca est in anima, quod

Appetitus irascibilis

al. firmiter

Peccata debilitant potentias animæ

& me-
æ tam
stea de
s est in
doeës,
i quid

5 mo

ortet,
& mo-
, & ad
media
t, &
e sub-
pon-
pote-
pec-
caret
ligna
t, ef-
ciret
item
um-
glo-
, qui
img
de-
vis-
ar-
ope-
ræ-
sta-
im-
ma



nec cognoscit seipsam, cum ipsa sit ex iis quæ oculis carnis videri non possunt. & sic non solum cæca est, sed etiam stulta: quia cæcus credit multa, quæ non videt, & in hoc etiam est infidelis. Inde factum est ut non appetat nisi terrena & vilia & fœda, & illis per amorem inhæreat, & pro magno reputet si ea potuerit adipisci. Appetitus honoris datus ei fuerat ut altissimum honorem desideraret, scilicet Deo placere & amicus Dei esse, & filius & hæres: & Deo similari, & ei conregnare, non ex æqualitate potentia, sed ex imitatione bonitatis: & vnus cum Deo fieri spiritus, & æqualis angelis, & nulli subesse nisi soli summo Domino omnium. Item ut se tantæ dignitatis agnosceret, eo quod imaginem Dei in se haberet, ut nulli indigniori se dignaretur subiicere, soli omnium Domino subiectus & obediens: ei ex amore adhærens, & reliqua sub Deo pro cuiuscunque dignitate æstimans, vtens ministerio creaturæ pro sua utilitate & Domini voluntate. Hæc erat sancta superbia, omne indecens despiceret, & solum bona appetere & diligere. E conuerso, modò appetit hominibus placere, gloriam ex hominibus quærere, quæ fallax est & vana: & aliquid magni existimans se homo cum nihil sit, seipsum seducit cum sit miser & vacuus omnis boni: & alios in comparatione sui spernit, & subiicere cupit sibi, qui fortè meliores sunt: & gloriatur in diuitiis, quæ sunt terra & lutum: iactat se de vanis & malis, sicut fatui qui gloriantur quando inuoluti sunt in luto. Et sic homines mutauerunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fœnum: quia omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos fœni: exaruit fœnum, & flos eius decidit.] Ita sancta superbia degenerata est in vitiosam.

Appetitus
honoris.

Psal. 105.
20.

Isa. 40, 6.

De